

ac praeclaram suae patriae nobis dedisset historiam, ut breve illud commentarium, quod Italice de rebus Aquensibus et tibi, Praesul Excellentissime, obtulit, et mihi aliisque communicavit, et epistolae illae doctissimae demonstrant, quas ad Cl. V. Canonicum Chennam Vic. Gen. dioecesis Alexandriae pro tuendis Ecclesiae Aquensis juribus adversum novitiam illius coeteroquin amplissimi viri sententiam scripsit. Hic autem, ut novit me hoc opus adgressum, non modo hortatus est, ut alacriter prosequerem, verum et quae ipse per otium collegerat documenta ad me omnia detulit, tum ad alias conquirendas se omnem operam adhibiturum in posterum est pollicitus, quod sane cum maximo hujus operis emolumento praestitit, ut suo loco est a me indicatum. Quo effectum est, ut intra quatuor annos haud spernendam veterum chartarum syllogem comparatam habuerim. Cum vero spes jam affulgeret illam brevi absolvendam, ad me delatum Regis nuntium fuit, quo juxta Taurinensis Archiepiscopi Francisci Rorengi a Rorà votum jubebatur a latere tuo discedere, ac ad collationum theologicarum in Regio hoc Athenaeo regendarum praefecturam capessendam Taurinum proficisci.

Haec autem fortunae immutatio tot objecit suscepto operi impedimenta, ut magno me illud deserendi periculo commiserit. Nam et adepti muneris gravitas, quam tantae, ac tam difficilis doctrinae magisterium secum fert, meam omnem operam primis saltem annis in eo collocari oportere monebat; et nimia ab illa civitate disjunctio multis me perficiendae historiae subsidiis privabat. Neque enim haec editis solum libris continebantur, sed privatis, publicisque tabulariis, ex quibus equidem multa in adversaria conjeceram, aliqua integre, pleraque contracte, nonnulla titulo tenus solum excerpta, ratus ubi esset opus e suis loculis extracta in usus meos parata semper habiturum, at haec aliaque commoda, quae in hac specie praesenti adsunt, mihi absentem defutura noveram. At licet fortuna hoc mihi consilium extorquere quasi videretur, haud tamen potuit me a priori sententia dimovere. Nam priora illa impedimenta et temporis mora, ac tua benignitate tolli posse cogitavi. Nec spes vero absuit. Qua enim benignitate me domi tuae morantem fovisti, eadem me absentem omni officiorum, ac beneficentiae genere prosecutus es. Tu me Fratri tuo tunc a secretis, ac ab interioribus negotiis Regi administro commendatum voluisti, cujus summa in me merita si vellem praedicare, nec dies mihi, nec lingua sufficeret. Non enim solum suo me patrocinio in suscepto officio tueri voluit, sed etiam ut frequens ad ipsum accederem, haud minori benignitate permisit, quod quantam ad hoc meum opus prosequendum excitaverit alacritatis vix dicere possum. Quamquam enim ille primas in Accademia, ubi publice jus docuit, et summas in foro, ubi rationalis curiae patrum Proto-Praeses fuit renunciatus, dignitates amplissimas sane atque honorificentissimas obtinisset, ac praeterea ad ardua, ac difficillima Regni negotia expedienda a Rege electus, postmodum summi Patriciatus apicem, ac magni Cancellarii supremum omnium munus esset consecutus, ac maximis gravissimisque curis perpetuo esset distentus; attamen, quod in maxima ejus laude ponendum